

sibi a majoribus traditum retinendum esse acriter contendunt. Victor vero omnes Asiae vicinarumque provinciarum ecclesias, tanquam contraria rectae fidei sentientes, à communione abscondere conatus est, datisque literis universos, qui illic erant fratres proscriptis, & ab unitate Ecclesiae prorsus alienos esse pronuntiavit. Quo factum, ut Victor acerbe perstringeretur ab Episcopis. Ex horum numero erat Irenæus, qui quidem die Dominica resurrectionis mysterium celebravit, fratrum tamen nomine, quibus in Gallia præfuit, Victorem admonuit, ne integras Dei Ecclesias à communione absconderet. In litteris ad Victorem datis Polycarpi mentionem injicit, qui de eadem quæstione cum Aniceto disputaverat, qui vero, non obstante de quibusdam rebus modica controversia, mutuo pacis osculo se complexi sunt, & de hoc capite non magnopere contenderunt. *Vid. Euseb. Hist. Eccl. Lib. V. c. XXIV. & Du Pin N. B. Tom. I. p. m. 72.* Supereft, ut de disputandi methodo quædam subjicſam, quæ ad scopum, quem præfixum tenemus, præparationem ad seria certamina, ducunt. Hæc dum meditor, quæstionem solvendam esse autumo, utrum juvenes studiosi majorem frumentum ex amicis collationibus, an vero ex disputationibus, in quibus dubia per syllogismos proponuntur, capiant. Movunt quæstionem Viri Cl. Mabillon in *Traité des Etudes Monastiques*, Part II. c. X. n. 2. ut & *Du Pin* in libello, *méthode pour étudier la Théologie* inscripto. Existimat Mabillonius, fortasse consultius esse juvenibus, si dubia sua absque forma proponerent, quem morem in pluribus Academiis observari advertit. Sufficere putat, si Doctorum probationes in syllogismorum formas reducantur, speratque hac methodo judicium melius formari, nec tam facile disputantes animo incitari.

Nec